

fore ut valesceret Oriens, profectique Judæarum potirentur.

Josephus Judæus & Sacerdos, in religione gentis suæ instructissimus, tradit, nihil sollicitasse magis Judæorum in defectionem animos, quam quod vaticiniis quibusdam præpostero sensu acceptis, de Judæa oriturus Princeps totius orbis dominatione pollens spondebatur (b). Plures Judæorum Sapientes hæc pro se oracula interpretati, in expectationem temporalis cujusdam Principis erigebantur, qui detracto genti suæ dominationis Romane jugo, Regnum per universum latè orbem propagaret. Hæc vulgò apud Judæos recepta persuasio; qua in re falli illos ita concedimus, ut neque Josephus meliora auguraretur, oraculorum fidem in Vespasiano, cum ad

Imperium in Oriente salutatus esset, impletam arbitratus. Magi Jerosolymam post natum Christum venientes, non aspectu tantum novi sideris, sed multo etiam magis sparsâ novi Regis in Oriente prodituri famâ acciti sunt [c]. Nec Romæ ignotum, quod in toto ferme Orbe divulgatum erat; namque Virgilius Eclog. 4. init. de natalitiis filii Pollionis usurpat carmina illa Sybillæ, aureum sæculum atque divinum quemdam infantem magnificis quibusdam carminibus celebrantia:

c Matth. 2. 1. 2.

Ultima Cumai venit jam carminis atas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.

Jam nova progenies Cælo demittitur alto.

b De Bell. 1. 7. c. 12.

DISSERTATIO DE METAMORPHOSI NABUCHODONOSORIS.

POST prorogatos per universum latè Orientem Regni sui fines Nabuchodonosor Rex Chaldææ, factu tumens & ambitione Babylonem regressus est; pacisque ac victoriarum fructibus colligendis intentus, ornandæ amplissimæ Urbi curas omnes suas verterat. Accidit inter hæc, ut per quietem proceræ cujusdam arboris dejectæ, contractæ atque concisæ speciem exhibitam cerneret; ejus arboris soli truncus & radix servati sunt; sed arbor eversa, vinculisque five annulis ferreis & aereis conficta. Arcanum illud ænigma Danieli Regi pandens, arboris specie Regem ipsum ejusque Imperium designari ait; sciret autem, Deum factu ejus stomachatum, ad agendam serino ritu, longè à commercio hominum, in agro vitam ipsum damnasse (a). Ibi verò rore Cæli perfusus, atque aeris injuriis expositus, herbam carpere in bruti morem cogere, donec ad mentem revocatus nosceret, mortalibus Regibus immortalæ aliquem & altissimam dominari. Aliquanto post, Rex ille dum secum gloriabundus agitaret, quæ & quanta Babylonem fecisset, subitâ auditâ voce eisdem sibi minas intentari sensit. Nec mora, statim in bovem transformatus, ex aula cœtuque hominum pulsus, ad belluarum ordinem redactus est.

apud Prophetam de historia illa leguntur, arbitratus est. Qui enim, inquit, fieri potuisset ut homo bovem indueret? Hæc Poetis quidem socios Ulyssis, & Diomedis in aves luposque transformatos narrantibus ridemus. Tulisset ne verò Princeps delicatissimus atque mollioris vitæ deliciis assuetus, nudum integro septennio injurias aeris tolerare, solis herbis aggressibusque fructibus depasci? Quomodo tam longo temporis spatio derelictus, belluarum immanitatem superasset? Eo verò absente, quis Chaldæorum Imperium moderatus est? Fac autem abfuerit; quomodo à suis olim abjectus postea receptus, solio denuò impositus est? Tandem insignem adeò & memorabilem historiam silentio ne pressissent Historici prophani, cum minoris momenti plura de eodem Principe literis consignata posteritati tradiderint? Ita disserit Origenes.

Sed neque de tanti Viri nomine, neque de ejus validis in specie argumentis nobis ceterisque hucusque omnibus impositum est. Nemo enim huc usque hujus historiarum veritati refragari ausus fuit, quamquam non sine opinionum dissidio; quod vix aliter crederetur de argumento adeò difficili & extraordinario. His tamen non rei ipsius veritas, sed rei præstitæ ratio negocium facit.

Sex in hoc argumentum variæ sententiæ distinguendæ sunt: 1. Origenes, de qua supra. 2. Bodini (c), autumantis Nabuchodonosorem in verum taurum transisse, ut formâ & mente pariter hominis depositâ, taurina omnia induerit; uno verbo ita corpore & anima in brutum transisse, quomodo Alberto Pericof accidisse perhibetur (d). Cum enim vir ille æquè lo-

c Bodin. Demolog. 1. 2. c. 6. Vide Jo. Geor. Bucherm Dissert. singular. de Metamor. Nabuchodon. d Cluver. Appendic. ad Epit. & om. hist. 1. 10. cu-

a Dan. 4. 22.

b Apud Hieron. in Dan. 4. pag. 1087. nov. Edit.

cuples & avarus, unius noctis jacturâ gregem suum universum, plurimum annorum sudore, iniquitate, & scelere collectum amississet, molestè adeò & acerbè rem tulit, ut mœrore freneticus, in Cœlum globum tormentarium explodere ausus fuerit, simul indigna plurima jactans. Nec mora; sanguineis quibusdam guttis sudare aer visus; homo autem impius in canem nigerimum transformatus, morticina gregis sui voraci dente laceranda canino more suscepit. Hanc historiam Cluverius non ex fide testium utcumque, sed oculatorum refert.

e Vide Maldonat. hic, Tertull. de Penit. c. 12. & 13.

Alios autem juvat (e), metamorphosim illam ad extimam tantum corporis formam, non verò ad animam retulisse; quod etiam in Apulejo, vi carminum Magicorum in asinum, corporis tantum speciem translatam, retentâ tamen hominis mente & spiritu, ipse de se Apulejus de asino aureo testatur. Ita etiam accidisse narrat S. Augustinus de Civit. 1. 18. cap. 18. Viris quibusdam Italis, qui post degustatum magicâ quadam arte paratum caseum, equi speciem subito induisse ipsi se sentiebant dolebantque; coacti enim erant in eum habitum Magis certo quodam tempore servire; quo evoluto, jure postliminii propriam formam recipiebant. Sed vir sanctus doctusque non nisi præstigio rem totam deputavit, quemadmodum infra demonstrabimus. Herodotus (f) ex relatione Scytharum & Grecorum in Scythia commorantium narrat, Neutos ejus regionis populos, solitos quotannis in lupos transmutari, certâ quadam temporum periodo; qua elapsâ iterum homines.

f Herod. 1. 4. c. 105.

Familia id in Livonia Gaspar Peuceorus testatur. Plinius, quem credulitatis non restat viri docti accusant, ipse vicissim eodem nomine, sicut & mendacii. Græcos accusat 1. 8. c. 22. venditant enim illi, familiam esse hominum in Arcadia, cujus singuli lupum hæc ratione induunt; nimirum, qui ad oram lacus cujusdam adductus, vestibus suis in arbore suspensus natatu aquam trajicit, atque in desertum succedens lupum ibi novennium agit. Si toto eo temporis spatio nunquam contingat, ut homini inferat injuriam, tunc ad lacum se reducit, & natatu aquâ trajectâ depositas vestes humanamque formam resumit, totidem annis, senior factus, quoties lupus fuerat. Ferunt Demarchum sive Demænetum quemdam post degustata exta pueri in sacrificio Jovis Lycei, sive Lupi ab Arcadibus mactati, in lupum statim transformatum, post decennium tandem hominis speciem recepisse. Refert Bartholinus de morbis Bibliis cap. 13. Constantinum Manassem in ea fuisse sententia, ut crederet Nabuchodonosorem de humana forma in porci figuram commutatam.

g Rabb. quidam apud Holsten.

Rabbini nonnullis visum est (g), promptâ metempsychosi animam Nabuchodonosoris in aliud corpus traducere; locumque ejus discessu factum, ut bovis anima substitueretur, ex qua bovini mores indolefceret; quantum tamen hominis figura, que

semper manebat, pateretur. Post evolutionem septennium, anima suam repetens contubernium, bruti animam migrare coegit. Hæc sanè opinio Pythagoricis metempsychosis assertoribus, adeoque & Judæis, olim & nunc etiam idem systema secutus, arrideret.

Alii verò turbatum mentis statum in Nabuchodonosore autumarunt (h), sicut & fascinatione quâdam præstictos oculos intuentium; illi ut brutum se reputaret, his verò ut brutum videre sibi viderentur. Omnia igitur juxta eos Authores integra erant, nihilque immutatum, nisi solæ opinionones. Legimus in vita S. Macarii, deductam ad virum sanctum puellam, quam in jumentum transformatam parentes, & quicumque itineris socii se dederant, rebantur; cum interim nihil tale puellæ accidisset. Vir Sanctus re intellectâ omnimodâ ab eorum luminibus fascinatione dolorem prodidit. S. Augustinus nunquam sibi in animum potest inducere, tantum valuisse Dæmones, ut homines in bruta transformarent; id enim supra eorum vires arbitratur (i); illud verò, quod de Magis Italia supra ex illo retulimus, præstigium esse merum turbatæ hominum phantasiæ arbitratur; mali enim Spiritus ludibrio equos & asinos insuetis se sarcinis oneratos credebant, cum nihil reapse in dorso gestarent.

Opinionem suam singulari quadam historia probat, quam præterisse peniteret. Pater Præstantii cujusdam vim Magicorum illorum carminum in se ipso senserat; ita enim insueto somno correptus fuit, ut spatio quidem plurimum dierum ne expergisci quidquam poterit. Evigilans tandem narravit, quo tempore somno teneretur, in jumentum translatus, sarcinam panis ad milites certæ turmæ unâ cum certis designatis equis vexisse. Vera dixisse deprehensus, somniasse se tamen in omnibus arbitrabatur [k]. Quare sive Dæmonibus oculos virum in lecto intuentium fascinaverat, sive id præstigiis iis accidit, qui vidisse se equum rebantur; eodemque Dæmonis ludibrio vir ille iter fecisse sibi videbatur, cum interim quietus maneret.

Denique recepta communi suffragio & maximè probata sententia tenet (l), Nabuchodonosorem Dei vindicis manu percussam in phrenesim incidisse; in eam nempe morbi speciem, quam lycantropiam appellant; cujus vi turbata phantasia, atque morbo ardore effervescentes, bovis, lupi, felis, & canis non speciem quidem, sed mores indolemque reipsa sibi adsciscit. Ita Rex semel bovem se esse persuasus, cœpit curvato dorso manibus pedibusque reptare, herbas carpere, veluti cornu petare, in agro pererrare, cœtus hominum fugere, comam unguisque ferino more negligere. Ad novum prodigium stupentes Babylonii, furentem alligaverunt, juxta ac Daniel insinuat (m): Alligetur vinculo arce & ferreo; nihilque cum illo mitius, quam cum furentem & maniam laborante egerunt. Sed elapsus tandem, in agrum communem cum belluis vitam agurus convolvit.

h Medina 1. 2. de R. ita in Deum fac. c. 7. Vier. de præst. sig. Dæmon. 1. 1. cap. 24. i August. 1. 8. de Civit. c. 18. Nec corpus quidem ullâ ratione crediderim Dæmonum arte vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti. k August. ibid. Quod ita ut narravit factum fuisse compertum est. Qua tamen ei sua somnia videbantur. l Hieron. Theodoret. Maldon. Perer. Cornel. Sancti. hic Franc. Vales. de Sacra Philol. c. 80. Mercurial. 1. 6. Var. Lect. c. 20. D. Th. de regim. Princ. 1. 2. c. ult. Ruper. de Trinit. lib. 6. de Vist. Verb. c. 29. Del Rio 1. 2. Disq. Magic. c. 18. Barthol. de Morb. Bibl. Vives, Leonard. Coquas ad August. 1. 18. de Civit. alii. m Dan. 4. 12. Hieron. in Dan. 4. p. 1089. Cum perspicuum sit omnes furiosos, ne se præcipitent, & alios ferro invadant, canis ligari.

vit. Neque id morbis genus ignotum est Medicis, scriptisque de Medicina Libris.

Cum naturæ vitio morbus inducitur, sanguini melancholico, diluto, arenti, fervido, unde morbidus quidam calor viscera depascit, deputatur accepto. Solent eo laborantes insolito quodam robore invalescere, ut vinculis eatenisque frustra, interdum vinciantur. Longam quandoque incediam & vigiliis prorogant, nihilque ingentis frigoris sentiunt incommoda. Morbi autem periodus interdum intra plures annos, interdum paucis diebus absolvitur; nec pharmaca vi morbi compescendæ defunt. Sed divinitus immissa in Nabuchodonosorem mania tandiù duravit, quandiù Oraculum dii antea latum definerat. Quæ tamen non prohibent, quin morbo inducendo ipsa corporis habitudo plurimum contulisset, quibus Deus opportunè Regi super biffimo in ordinem redigendo, usus est.

Frequentissima suppetunt ejus morbi exempla. Actius ex Galeno narrat (n), mania laborantes ita secum agi putare, quasi in lapos canesque transformati essent: noctu Februario mense discurrere, & per sepulchra oberrantes, hæc vel illa suffringere. Diogenes Laertius in vita Heracliti narrat, Philosophum tetro quodam melancholia humore correptum, emoto mentis statu insanitum evasisse, ut ne custodiâ quidem inhiheretur, quin fugâ dilapsus sese in montes ferino more herbis victitatus proriperet. Homerus Bellerophontem exhibet arva & deserta loca discurrentem, eorum suum abrodentem, & cætus hominum fugientem tetro melancholia humore maniaque agitatum (o). Sunt qui canis more latent, ululent tanquam lupi, rugiant insar leonum, ex Urbibus sese cœtibusque hominum proripiant, nihil præter antra & deserta quærentes. Alii errantis phantasia ludibrio, è butyro, vitro, nive constare se credunt. Alii in elephantinam tubam nasum suum productum autumant; alii tandem persuasum habent largo imbre nimboque viscera sua perfundi. Spectati, olim qui viva se cadavera credentes, ab omni se cibo pervicacissimè prohiberent. Quædam morborum symptomata feles, cuniculos, mures, gallos galinaceos ex hominibus reddunt. Quid tandem à turbatâ phantasia alienum?

Plerumque tamen solent eo morbo affecti ita persuaderi, quasi in bruta transmutarentur; nec tamen propterea à statu mentis desiciuntur, conati tantummodo illorum animantium mores indolemque affectare. Quare si species lupi obtinuerit, ululant illi, mordent, homines fugiunt, crudasque maximè ovium carnes vorant; uno verbo, lupi ille moribus studebit, & ceteroqui sapiens in eo tantummodo desipiet. Si cujus persuasione phantasia illi errorem agnoverint, continuè valetudini restituantur. Sed rarè id evincitur discurrendo; sæpius purgamentis & refrigeramentis. Cum Pastor Melampus fortè vidisset capellas suas vorato helleboro repurgari, earum lacte paulò post degustatam

eandem herbam expresso, potandas duxit geminas filias Regis Proelii. Porro Principes illæ foemine morbidæ phantasia vitio in vacas se transformatas credebant, quod morbi genus ita Bacchi sive Junonis, qua elegantiores se puellæ jactiverant, inducendum è fabulis discimus. Melampi pharmacum præsentissimum fuit; namque restitutum phantasiae statum, ambæ illæ convalescerunt.

Sed hunc mentis statum non secus ac sermonis facultatem reinuit ne Nabuchodonosor toto metamorphosis suæ septennio? Id sanè è re videbatur divina providentiâ, quæ hominem in ordinem redigere, atque resipiscendi tempus concedere meditabatur. Tertullianus (p) persuasum habet, ærumnam suam sensisse Regem totoque septennio egisse poenitentiam; sicut & ejusdem exemplo in poenitentiam verfos subjectos illi populos tantum apud Deum valuisse, ut Regis sanitatem à morbo, & restitutionem in Regnum impetrarent: *Poenitentia Babyloniorum Regem in Regna restituit, diu enim poenitentiam Domino immolarat, septennii squalore exomologesim operatus.*

Quid equidem profuisset virum puniri, si neque poenam sentire, neque agnoscere potuisset; si in partem voluptatis phantasiae morbum accepisset, quemadmodum in aliis mania laborantibus observamus? An fortè aliquis semel persuasus lupum se, vel bovem induisse, molestiâ ex eâ re plurimâ afficitur? An hominem se non esse dolet? Ne cogitat quidem; nec unquam talem se fuisse in mentem fortè succurrit. Accidit ut quispiam errantis phantasiae ludibrio excellentissimas tragedias à peritissimis Tragediis repræsentatas spectare sibi videretur: solitarius totâ die in teatro agebat, identidem pro objectâ inanum spectaculorum specie plaudens. Ejus amici propinato helleboro, aliisque remediis adhibitis, ab errore virum revocarunt. Quare ille mœstus ajebat: Horat. l. 2. Ep. 2.

..... Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Si cum Nabuchodonosore ita agebatur, miti profectò cum illo poenâ sævitum est; nihil enim ille de suo supplicio sentiebat, in partem voluptatis habens, quod in poenam erat impositum.

Sed contraria illis opinio prævaluit, habeturque persuasum, à statu mentis emotum Regem toto septennio brutum egisse. Ita sermonis facultate amisâ, ut mutum bovem non in cibo tantum, indole, actionibus, sed etiam in voce exhiberet, quantum tamen figura hominis, deformata licet, semper in viro manens pateretur. Quare manibus pedibusque reptabat, commam unguisque negligebat, ut etiam atque etiam bovi conformaretur. At enim, ubi poena & tumentis animi dejectio? An fortè levioris supplicii genus erat, talem tantamque ærumnam non sensisse, sibi que in eo constituto statu placuisse? Quid unquam

quam excogitari poterat tristius, quam miseriam suam non sensisse? Fucosa illa felicitas non fucatae miseræ loco habenda est. Tertullianus singulari prorsus opinione autumavit, Nabuchodonosorem speciem tantum bovis induisse, mente & intelligendi facultate retentâ; quod non singulare tantum habendum est, sed ambiguum etiam & erroneum.

Namque formam ille humanam retinuerat, plurimum tamen deformatam; atque corpore adeò pessimè disposito, anima non aliter quam carcere utebatur. Phantasia semel turbata, nihil nisi tumultuarium menti exhibebat. Omnes homini ratione utenti peculiarietates fundiones pererrare cogebantur, quod ratio & mens omni alto sopore tenerentur. Eam tandem speciem vir ille exhibebat, quam solent dormientes seu largiori epoto vino è statu mentis deturbati, quibus neque se, neque alia noscere sopitis spiritibus & organis integrum est. In id unum ratione valebat, ut mores omnes indolemque bovis in memoriam revocaret, quo magis per omnia bruto assimilaretur. Ita semel errore constituto, rectè quidem ad vetera præjudicia, ad veritatem autem non rectè philosophatus, aliisque insuper ex aliis confectionibus deductis, errorem altè perhibet. Is rerum status quamquam viro è statu mentis emoto minus sentiretur, hæc tamen in re tantâ doloris vacuitas non minimum adjungebat doloris additamentum. Vix tamen à morbo coeperat convalescere, cum se colligens, intellexit tandem quid sibi esset faciendum. Id verò exhibitum in tanto Rege exemplum, Babylonios simul omnes in ordinem redegit, tum & in ventura omnia sæcula ultionis divinæ timendæ monumentum reliquit, ne quis unquam mortalium erigere in Deum cervicem, Deum, inquam, tanto maiorum pondere mortalium factum deprimentem, auderet.

Plura ex insita ad fabellas indole Judæi huic historiæ addiderunt. Persuasum habent, toto septennio vacuum paternâ valetudine Regnum Evilmerodachum ejus filium suscepisse, tanquamque subjectos sibi populos tyrannide oppressisse, ut statim post valetudinem prodiens Nabuchodonosor, ingentibus populis ab Evilmerodacho abalienati studiis ad Regnum repeteretur. Vix Regno restitutus pater, filium in arctum carcerem detulit, ubi natus Jechoniam Regem Judæorum, summam cum illo necessitudinem habuit. Factum inde ut aliquandiu post satis functo Nabuchodonosore, Evilmerodachus rerum potitus Jechoniam libertati restitueret. Metuens verò, addunt, ne, sicut antea, Nabuchodonosor interum appareret, ejus cadaver in 300. frustula comminutum, devorandum vulturibus dedit; ut omnis de illo si fieri posset vel memoria aboleretur (q).

Ex eadem fonte, quantum conjicimus, deducta sunt, quæ de forma in bellum translatis Nabuchodonosoris feruntur. Sunt qui (r) in similitudinem Cherubim apud Ezechielem r. humanam simul & leoninam, aquilæ & bovis in se uno formas concipi-

liasse crediderint; quibus, inquit illi, animalium figuris crimina illius potissima, quorum merito plebebatur designata, nimirum fastus, impotentia, crudelitas, & luxuria. Malunt alii (s) anteriora & caput vituli, posteriora verò leonis viro aptare; digno satis emblemate turpibus sensuum voluptatibus, quibus addicebatur, tum & levitatis atque impotentia, qua erat in devictos populos, designandis; namque luxuriam taurus, levitatem leo exprimit. Nihil horum ex Scripturæ fide, in qua de forma bovis sive tauri viro inditâ ne verbum quidem.

At enim si tota Regis metamorphosis vitio errantis phantasia accepto referenda est, cui bovis indoles affectata accedebat, ubi, rogo, prodigium? Nihil enim frequentius quam phantasia vitio correpti homines, quo si fortè laboraverint, continuè translatos se in bruta autumant; id super omnia conati, ut indolem etiam eorum brutorum exprimant. Nonne vidimus ætate nostrâ viros, qui se tamquam equum curari, ceteraque sibi præstari omnia, quæ equis [?] solent, jubebant? Quot etiam errantis phantasiae persuasionem Deos se, Reges, Angelos, quamquam in cavea sive in angusto quodam conclavi reclusi, autumant?

Optimè illi quidem; verum & si aliud omne abfuisse miraculum, nonne prodigium saltem deputandum erat, visum à Nabuchodonosore, ac deinde à Propheta expositum, de metamorphosi ipsius per septennium, anno antequam contingeret, somnium? nonne prodigium esset, & quidem insigne, totam ejus morbi periodum ita definitisse Prophetam, ut exordium ipsius exitumque designaret? Hæc omnia poterant incredulas mentes ed adduxisse, ut crederent, totam eam rem non causâ à natura ordinatis, sed divinè providentiæ consilio factum Regem in ordinem redigere volentis, accepto esse referendam. Quando cœlitus tantum factâ voce post annum à somnio Rex ille præmonitus fuisset, quam vocem statim metamorphosis secuta est; id unum sufficeret, ut prodigium apertissimè demonstraretur. Habuerit ille affecti sanguinis vitio insitam à natura in morbum propensionem; quod tamen morbo subito corripere, nec facile potuit anno ante eventum prænunciari, neque assignato adamussim tempore contigisse, si prodigium omne abfuisse.

Est igitur cur in ea re validam aliquam manum concipiamus, momento phantasiae ideæque omnes turbantem humorum oeconomiam subvertentem, sanguinem, bilem noxia quodam fervore incendentem, qua tandem nova indoles novique planè à pristinis repugnantes mores viro inducerentur. Poterant quidem diu antea sanguis humoresque eam sibi habitudinem inducere; quod verò subito hæc omnia parerent, naturali planè ratione non poterant; quemadmodum inductus subito morbus ut subito removeretur, non nisi divino prodigio factum est. Qui enim aliter poterat fervor sanguinis & humorum subito compesci, vulnus tam altum phan-

s Doroth. &
Pseudo-Epib
de vita &
Morte Prophet.
Ita & Chron.
Alexan.

t D. Bernier

n Actius l. 6.
c. 21. ex Gal.
len.

o Nid. 3.

q Vide Hieron.
in Isai. 14.
Lycan. in Isai.
52. To stat. in
4. Reg. 25.
H. stor. Scho-
last. in 5. Dan.
r de Pseudo-
stin quas.
ad Orithod.